



**Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1670**

Concl. VII. Oblitus alicujus circumstantiæ mutantis speciem, si eam possis declarare, non teneris illud repetere; sin minùs, repetendum erit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)



injustitiæ, non dicendo, utrum in materia luxuriæ, an honoris &c. Responso erit

### CONCLUSIO VII.

Oblitus alicujus circumstantiæ mutantis speciem, si eam possis declarare, non declarato peccato, non teneris illud repetere; sin minùs, repetendum erit.

164.  
Exemplum  
2. part.  
Conclus.

**E**xemplum primæ partis est de eo, qui habens votum castitatis fornicatus est, & confessus est fornicationem; sed propter oblivionem, vel aliam justam causam omisit circumstantiam voti violati; communis sententia docet, satisfacere penitentem, si explicet circumstantiam omisam, non explicato iterum peccato, quod jam est confessus, dicendo v. g. *Violavi votum in re gravi*. Ratio est: quia per illa verba declarat peccatum suum in specie ac sigillatim: etenim violatio voti perfidia est ad Deum, ejusdem speciei circa quodlibet obiectum, veluti observatio voti est fidelitas ad Deum, ejusdem speciei circa quodlibet obiectum.

Diversitas  
votorum ex  
parte mate-  
riæ non  
est expli-  
canda, nisi  
materia ali-  
unde sit  
præcepta.

Tota ergo diversitas votorum ex parte materiæ prorsus materialis est, adeoque minimè explicanda (quidquid Aliqui in contrarium velint) in Confessione, nisi materia aliunde præcepta sit, ut in casu proposito, in quo violatio voti conjungitur peccato fornicationis planè diversæ speciei, utique contra virtutem castitatis, quæ seculo voto prohibet copulam cum non sua. Unde malitiæ illæ manent prorsus impermixtæ: potest enim quis peccare contra votum in materia castitatis, & non contra virtutem castitatis, v. g. si habens votum castitatis petat debitum ab uxore. Et vice versâ potest quis peccare contra virtutem castitatis, & non contra votum castitatis, v. g. si non habens votum castitatis fornicetur? Quid ergo mirum, si una malitiæ possit in specie & sigillatim declarari sinè altera, etiam quando in eodem actu per accidens conjunguntur? Non video rationem dubitandi.

165.  
Ratio dubi-  
tandi de  
Exemplo 1.  
part. Con-  
clus.

Ratio (inquis) dubitandi est; quòd ille, qui confitetur se violasse votum in re gravi, non explicando materiam, hoc ipso significet, materiam aliunde non fuisse prohibitam: ergo non confitetur peccatum, quod fecit, sed quod non fecit; sicuti qui dicit, se furatum esse quinquaginta, cum furatus sit centum, significat se solùm quinquaginta furatum: quod cum sit falsum, jam non confitetur furum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit; adeoque Confessio hujusmodi est invalida.

Propter hanc objectionem (inquit Arraga disp. 35. n. 35. in fine) putat Lugo disp. 16. n. 657. stando in ratione, probabiliorè esse contrariam sententiam, quam ita tenet Silvester verb. *Confessio*. 1. q. 10. ut dicat, contrariam magnum errorem continere. Hæc ille.

Sed hallucinatur: nam in primis hæc sunt verba Cardinalis: Ex hoc exemplo & argumento (ut verum fatear) licet sententia illa, quam hucusquæ explicuimus, quòd possit seorsum explicare in secunda Confessione circumstantiam omisam, non explicato deus peccato, probabilissima sit, & tuta in praxi, propter auctoritatem tot & tantorum Doctorum, stando tamen in ratione, semper mihi difficilis visa est. Et suprâ n. 660. Videtur ergo satis probabilis, stando in ratione, sententia Silvestri. Hæc Eminentissimus. Tu vide, an propter eam putet, probabiliorè esse contrariam sententiam.

Quantum ad Silvestrum, non satis constat, an loquatur de presenti controversia. Subscribo ejus verba: Esto quòd esset vera ista opinio (puta, circumstantiam sacri temporis esse necessariò consistendam) adhuc Summa Angelica dicit magnum errorem, in Tit. *Immunitatio*. §. 6. in fine, ubi vult, quòd circumstantiam Fæsti sufficit confiteri, non specificando speciem peccati; sed dicendo, quòd in Fæsto totiens peccavit, falsum est: & insert contradiotionem in dictis ejus; quia si ista circumstantia est necessaria, aggravat infinitè; ergo dat speciem peccato. Ergo illud peccatum sinè tali circumstantia non est dictum quantum ad suam speciem; ergo non est sufficienter confessum, cujus oppositum iste dicit, Ita Silvester.

Summa autem Angelica sic inquit: Quia difficile est scire dicere, quæ peccata commisit in Fæstis; & interrogare in quolibet peccato, si illud commisit in Fæsto, est difficile; potes sinè alio scrupulo peccatorem interrogare sic: *Peccasti mortaliter in Fæsto?* Et si dicit, quòd sic, interroga secundò: *In quot Fæstis tantis?* Et si nescit, interroga eum: *Si quasi in omnibus, vel in maiori parte ipsarum, vel in minori.* Et terciò interroga: *Si in eodem Fæsto aliquando bis vel sextus & septus.* Et sic sufficit quoad istam circumstantiam, absque hoc quòd exprimat speciem peccati, quòd commisit; vel absque hoc, quòd in quolibet peccato, quòd confitetur, interroges, *si fecit in Fæsto*. Hactenus Angelus de Clavasio Ordinis Minorum Vicarius Generalis Cisimontanorum FF. Observantia.

Qui (ut liquidò constat ex verbis mox recitatis) non loquitur de casu nostræ conclusionis, v. g. an, si aliquis fuisset confessus peccatum, quòd fecerat in die Fæsti, pura fornicationem, oblitus illius circumstantia-



in sequenti Confessione sufficienter confitetur, dicendo: *Opus servile feci in die festo* (existimat quippe hic Auctor verb. *Feria* §. 36. opus peccati mortalis esse opus servile) sed universaliter resolvit, etiam in eadem Confessione posse separatim declarari circumstantiam diei festive, & separatim speciem peccati, quia (inquit) difficile est scire, quæ peccata commisit in Festo. Cum quo bene fit, quod penitens debeat simul illa explicare, quando commodè potest.

Cæterum Summa Angelica non dicit magnum errorem in Tit. *Interrogatio* §. 6. in fine; est etiam intelligeretur de eadem Confessione, & quando commodè possent substantia & circumstantia peccati simul explicari, ut patet ex dicendis. Igitur Silvester loco citato non docet, nostram opinionem, de qua ipse ibi non tractat, esse magnum errorem.

His præmissis, respondeo ad rationem dabitandi, hanc propositionem: *Violari votum in re gravi, non specificando materiam, esse verissimum in toto rigore, non solum morali, sed etiam philosophico, est* Confessarius erreret, intelligendo materiam aliunde non prohibitam, cum tamen reverà aliunde prohibita fuerit. Quamvis enim soleant penitentes declarare materiam specialiter prohibitam; immò tamen id foret necessarium per se loquendo; equidem Confessarius scire debet, & supponitur scire, ex justa causa contrarium licere, v. g. si penitens non posset confiteri violationem voti castitatis specificando materiam, nisi revelando complicem cum periculo gravis damni extrinseci; potest & debet nihilominus, secundum communem sententiam, explicare violationem voti in materia gravi, si possit sine gravi incommodo. Ergo Confessarius, si errer in casu nostro, intelligendo materiam aliunde non prohibitam, sibi ipsi debet imputare: nam reverà illa verba, neque in se, neque etiam in ipsa Confessione illud significant, sed abstrahunt à materia aliunde prohibita, & non prohibita.

Et sicut qui ex justa causa, v. g. ne revelet complicem, non specificat materiam, nihilominus confitetur peccatum, quod fecit (nemo enim potest aut debet confiteri peccatum, quod non fecit, ne alioquin cogatur mentiri) pati profectò ratione ille, qui heri confessus fuit substantiam peccati, v. g. fornicationem, & hodie declarat solum circumstantiam, v. g. violationem voti in re gravi, quidni confiteatur peccatum, quod fecit? Haud dubito, quidquid perperam concipiat, vel non concipiat suâ imprudentiâ Confessarius: ab ipsius enim imprudenti errore non dependet veritas mea Confessionis.

Numquid debeo dicere, me peccasse cum Catharina, quia ipse fortalsè concipiet Agnetem? Aut oportet me declarare, adhuc restare

aliquid peccatum confitendum, quod ex justa causa taceo, quia aliàs ipse intelliget, nullum amplius superesse confitendum? Absona sunt similia commenta, & contra communem praxim. Ergo quod Confessarius auditis his verbis: *Violari votum in re gravi*, concipiet materiam aliàs non prohibitam, etsi à parte rei prohibita fuerit, parum aut nihil refert ad veritatem Confessionis, & valorem Absolutionis; nisi dixeris, penitentem invalidè fuisse confessum, & consequenter invalidè absolutum, qui solum fornicationem fuisse confessus, & per oblivionem circumstantiam voti omisit: hic enim fuisse confessus peccatum, quod non fecit; si verum est, quod est duplici illa malitia, videlicet contra castitatem, & contra religionem, exurgat una tertia malitia, specie distincta ab utraque; quæ non possit explicari, nisi utraque malitia sit explicata. Patet quia talis penitens solum explicavit peccatum fornicationis, quod non fecit secundum te, sed fecit aliud specie peccatum, compositum seu constatum ex duplici peccato, nimirum fornicationis, & violationis voti; quod (puto) nemo facile admisit.

Quid ergo ad instantiam de eo, qui cum fuerit furatus centum, ex oblivione dicit: *Furatus sum quinquaginta*? Respondeo; omnino satisfacere, si in secunda Confessione explicet alia quinquaginta; quia prorsus declaravit suum peccatum; sicuti qui ex oblivione dixisset: *Tertio sui fornicatus*, cum tamen sexies peccasset, plene satisfacit, confitendo iteratò, se tertio fuisse fornicatum.

Dices: disparitas est, quod fur non explicet peccatum quod fecit, sed aliud, quod non fecit: significat enim se solum furatum quinquaginta, cum tamen furatus fuerit centum. Secundò, significat se commississe duo peccata, cum tamen fuerit unicum. At verò fornicator iste adæquatè explicat peccatum, quod fecit, & numerum, etsi in diversis Confessionibus.

Respondent Aliqui ad primum, & querunt; an ergo qui nihil aliud fuisse confessus, quam: *Furatus sum quinquaginta*, oblitus inculpabiliter aliorum quinquaginta, invalidè fuisse confessus, & consequenter invalidè absolutus? Quippe, secundum te, non fuit confessus peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit. Quis autem dixerit talem Confessionem invalidam? Ergo quando primò confessus est quinquaginta, & rursus confitetur alia quinquaginta, confitetur peccatum, quod fecit, etiam sigillatim, id est, secundum numerum; quia illud unicum furtum centum æquivaleret moraliter duobus furtis quinquaginta; veluti qui unico actu occidit duos, si unâ vice dixerit: *Occidi unum*, alterâ vice similiter potest dicere: *Occidi unum*. Alioquin si Concilium Trident. sess. 14. c. 5. per ly *Sigillatim*, solum intellexerit numerum physicum & formalem, malè

starii non dependet veritas Confessionis.

170. Respondeatur ad instantiam de furtis.

Obijcto.

Solvitur.

168. Insuper...

169. Ab impu...





colligunt aliqui DD. quantitatem pecuniae esse explicandam propter virtuales multiplicationem numeri.

171.  
Alia obiectio solvitur.

Si dixeris; differentiam in eo esse, quod in homicidio violentur duo jura, at vero in furto unicum tantum; Respondent; est in eodem homine fuerint jura illa, in se tamen sunt duo: nam jus ad quinquaginta priora, est distinctum realiter à jure ad alia quinquaginta, eodem planè modo, ac si illa centum pertinuisent ad duos diversos dominos: neque enim jura distinguuntur solum per ordinem ad personas; quæ dicuntur habere jus, sed etiam in ordine ad ipsas res. Sic jus quod ego habeo ad vitam meam, distinguitur realiter à jure, quod habeo ad famam, aut ad alia bona externa: ergo similiter jus, quod habeo ad hos quinquaginta florenos, à jure, quod habeo ad illos quinquaginta. Ergo ad presentem questionem nihil refert, si illa centum fuerint diversorum hominum, siue unius. Unde illud non solet in Confessione explicari. Hæc illi secundum suam sententiam, quæ docet, illam quantitatem furti esse explicandam in Confessione, siue quia est circumstantia notabiliter aggravans, aut mutans moralem speciem, siue quia virtualiter multiplicat numerum.

172.  
Alia responsio ad illam instantiam.

Alioquin juxta oppositam sententiam, responderi posset ad illam instantiam: etsi ex certa scientia confiteretur; se quinquaginta fuisse furatum, equidem Confessio foret valida; quia adhuc confiteretur peccatum, quod fecit: nam qui furatus est centum, sine dubio furatus est quinquaginta. Vel si tunc non confiteretur peccatum quod fecit, & ideo confiteretur invalidè; etiam confiteretur invalidè, etsi sic confiteretur ex ignorantia inculpabili. Porro si valeat talis Confessio, non obligatur penitens alia 50. declarare in secunda Confessione, ut patet; poterit tamen, quia potest idem peccatum sæpius confiteri.

Cæterum putant Multi, talem Confessionem non valere; quia illa vox: *Quinquaginta*, addita furto, videtur negativa quantitatis majoris, juxta communem sensum; adeoque penitens confiteretur peccatum, quod non fecit, quia non est furatus tantum quinquaginta. At verò in nostro casu, dum dico: *Violavi votum in materia gravi*, vox hæc: *In materia gravi*, non additur ad diminuendum; sed ad ostendendum, quod fuerit materia capax peccati mortalis. Utrum autem aliundè haberet ea ipsa materia rationem peccati, nullo modo, nequidem juxta communem acceptionem, aut negat, aut affirmat illa Confessio. Ita Arriaga disp. 35. n. 41.

Arriaga.

Atque hæc ratione Concl. 2. dixi, consultum esse non determinare certam quantitatem furti; sed optimum fore indeterminatè confiteri: *Furatus sum materiam gravem*; quia hæc voces: *Materiam gravem*, confusè significant

quancumque materiam gravem, tam unum florenum, quam unum millionem.

Sic explicata prima pars Conclusionis, non potest alio medio oppugnari, quam hæc Consequentia: Ergo etiam si ego ex proposito in eadem Confessione dividam peccatum meum ac dicam: *Fui fornicatus*; & paulò post: *Violavi votum in re gravi*; faciam validam ac licitam Confessionem. Hoc autem videtur esse contra communem sensum: non enim committere admittunt DD. eam divisionem, nisi ex obligatione, aut ratione alicujus imminenti periculi.

Juvabit audire Suarium disp. 22. sect. 2. cap. n. 9. Si (inquit) duæ illæ malitiæ sufficienter explicari possint, non explicando connectionem earum in uno actu, satis erit illas dicere per modum plurium peccatorum; quia Multi existimant illa reverà esse plura peccata, & illa conjunctio non variat iudicium, neque addit specialem gravitatem. At verò, si propria malitia circumstantia non possit declarari, nisi ut conjuncta & addita alteri peccato; tunc necessarium erit illam per modum circumstantiæ confiteri: & quia moraliter loquendo ita frequentius accidit, ideo in usu ita servandum est. Hæc ille. Quam sententiam Arriaga supra existimat satis probabilem.

Et si objicias: ille modus confitendi significat ibi fuisse duo peccata, cum tamen solum fuerit unum; respondet: Quod Confessarius, quando fuit unum peccatum æquivalens moraliter duobus, illud concipiat perinde, ac si fuissent duo illa distincta, quibus æquivalet, non obest Confessioni. Ut, si unà volitione, uno ictu occidi duos homines, possum absolutè dicere: *Occidi duos*; licet hæc vox sic dicta planè significet duo peccata, quia rarò unà volitione & unà actione occiduntur duo. Hæc ille.

Quæ responsio colligitur ex Suario, dum dicit: *Multi existimant illa reverà esse plura peccata; & illa conjunctio non variat iudicium, neque addit specialem gravitatem*, altero alicujus considerationis in ordine ad præceptum Confessionis; neque enim, etiam in sententia Suarii, qualibet circumstantia aggravans est confitenda necessariò, sed dumtaxat notabiliter aggravans. Itaque talis explicatio peccatum, quod fecit, id est, malitiam peccati, quod fecit, quæ sola variat iudicium Confessarii in ordine ad servandam æquitatem moralem in penitentiis injungendis.

Sed quid dicam? Quod uni placet, alteri displicet. Unde nonnulli respondent negando illam Consequentiam, quia, quando separatim illa fit in eadem Confessione, videtur planè denotare, illud peccatum non habuisse talem circumstantiam. Quando autem non est illa ratio faciendi eam distinctionem, sinceritas Confessionis exigit, ut non separaretur circumstantia



stantia à peccato, cuius fuit; neque peccatum à suis circumstantiis. Ita Arriaga suprà.

Confirmatur ex Lugone suprà nu. 654. Quando intrà eandem Confessionem separo illas malitias, significo esse duo peccata: quando verò in duplici Confessione id facio, non significo esse aliud peccatum, quia possum in duplici Confessione accusare me bis de eodem peccato, non in eadem; nisi explicem.

Rel. unde: Quando intrà eandem Confessionem separo illas malitias, significo esse duo peccata in omni rigore philosophico, id est, duos actus phylicos, nego: duos actus morales, concedo totum. Sed hoc est contra sinceritatem Confessionis, nego Subsumptum: nam sinceritas Confessionis solum exigit, ut ita explicentur peccata in specie & sigillatim, quòd Confessarius possit cognoscere causam, & servare æquitatem in pœnis injungendis; ad id autem non requiritur exacta cognitio actuum phylicorum, sed potius ipsarum maliciarum, seu actuum moralium. Porro fornicatio sacrilega, quamvis sit physice unicus actus, tamen moraliter duplex est, id est, fornicatio ista quatenus peccatum luxuriæ, distinguitur moraliter à se ipsa quatenus sacrilegium; nec aliam distinctionem oportet Confessarium apprehendere; alioquin à se ipso decipietur, & non à penitente. Deinde, si aliquid probat argumentum Lugonis, etiam probat, ex iusta ratione non posse separari illas malitias in eadem Confessione, v. g. ad occultandum complicitem, quod mihi non est credibile.

Atque hæc sufficiant pro prima parte Conclusionis, que licet non verificaretur in exemplo proposito, de eo, qui habens votum castitatis, fornicatus fuit (nam putant Aliqui, inter quos Arriaga tom. 3. disp. 41. sect. 5. materiam voti declarandam esse in Confessione) equidem inveniuntur alii casus, in quibus estò explicetur materia circumstantiæ, non tamen ideo detegitur peccatum in priori Confessione expressum: v. g. si ego feci votum audiendi Sacram die Dominicâ, & postea illud non audio, ac in Confessione oblitus circumstantiæ voti, dixi, me neglexisse Sacram die Dominicâ; tamen in secunda Confessione deberem dicere: *Omissi Sacram, ad quod ex voto tenebat, non tamen necesse est dicere, illud fuisse die Dominicâ: ac proinde non est necesse, ut alteram malitiam transgressionis præcepti audiendi Sacram die Dominicâ, iteratò declarem.* Plures similes casus vide apud Arriagam hic di. 35. n. 42. & 45. Ego illis non immoror, quia mihi primum exemplum sufficientissimum est.

Cæterum si queritur, quare potius sufficiat dicere: *Violavi votum in materia gravi, quàm: Offendi Deum in materia gravi; aut: Violavi præceptum Dei vel Ecclesie in materia gravi?* Respondet breviter: quia per priora verba explicatur species peccati; secus per posteriora. Ratio

est: quia præcepta non extrahunt actum seu materiam à propria ratione virtutis & honestatis; quam ex se habet; sed intrà illam imponunt necessitatem: lex enim in materia temperantiæ præcipit actum temperantiæ, & sic de aliis. At verò votum addit materiam specialem honestatem divini cultus, ordinando talem materiam, v. g. jejunium, ad hunc cultum, ad quem ex natura sua non est ordinatum, & sub illa ratione addit necessitatem. Igitur necessitatem ejusdem speciei in omnibus materiis, sicuti est eadem honestas. Ergo nisi materia voti præter honestatem & necessitatem fidelitatis ad Deum, aliam habeat specialem honestatem & necessitatem ex præcepto divino vel humano; liquet profectò, illam materiam non esse explicandam in Confessione: v. g. ego voveo jejunium, ad quod non teneor ex jure naturali temperantiæ (quia comedendo carnes non facio contra temperantiæ) neque obligor ex aliqua lege positiva divina aut humana; si comedo carnes, peccodum taxat peccato perfidia: adeoque istud explicando, declaro totam speciem mei peccati.

Ratio ulterior est: quia homo privatus non potest sibi imponere obligationem temperantiæ; hæc enim est obligatio legis propriè dictæ: lex autem est actus jurisdictionis, qui pertinet ad Superiorem. Hinc frangens jejunium in casu proposito, non peccat contra temperantiæ, et si ex hujus virtutis motu vovisset. Nam indè solum sequitur, honestatem jejunii fuisse motivum aliquid extrinsecum, propter quod assequendum homo voluit formalem honestatem Religionis; sive voluit id, quod formaliter est cultus Dei.

Si inferas: ergo consimiliter honestas jejunii tantum erit motivum aliquid extrinsecum legis propriè dictæ, propter quod assequendum; legislator vult formalem honestatem obedientiæ, sive vult id, quod formaliter est obedientia; adeoque frangens jejunium præceptum ab Ecclesia, solum peccabit contra obedientiam.

Respondeo N. C. Disparitatem do; quòd obedientia sit virtus generalis, cujus honestas reperitur in omni præcepto tam naturali, quàm positivo; tam divino, quàm humano: proinde necessariò contrahenda ad diversas species virtutum. Per quid? Per nihil aliud, quàm per diversas materias. Consimiliter inobedientia est peccatum generale, quod invenitur in transgressione cujuscumque legis tam naturalis, quàm positivæ; tam divinæ, quàm humanæ: proinde necessariò contrahendum ad diversa specie peccata. Per quid? Per nihil aliud, quàm per diversas materias; nisi velimus dicere, omnes virtutes, & omnia peccata esse ejusdem speciei infimæ, quod est inauditum. Igitur quemadmodum peccatum contra legem naturalem temperantiæ, non

folius



folius inobedientia peccatum est, sed etiam peccatum intemperantia: pariformiter dico, peccatum contra legem positivam divinam vel humanam in materia temperantia, non solius inobedientia esse peccatum, sed etiam peccatum intemperantia.

179. **Alia obiectio ex Arriaga.**  
 Dices cum Arriaga to. 3. disp. 41. n. 38. Etiam irreligio multis peccatis specie diversis convenire potest, ut quando de multis materiis facimus votum, v. g. de jejunio, de oratione, de elemosyna: ergo in hoc nulla est disparitas: quod enim ad viginti v. g. peccata se extendat inobedientia, irreligio vero ad sedecim, per accidens omnino est pro presenti difficultate: nam ratio, quae est verè specifica atoma, non solum non potest esse communis centum v. g. speciebus distinctis, sed nec solis duabus: nam iam eo ipso non esset species, sed genus. Ergo cum ostenderim irreligionem esse multis illis peccatis communem, est non tot, quot est inobedientia, non poterit absolute esse species atoma, ut argumentum dicebat de inobedientia. Hæc ille.

180. **Solvitur.**  
 Sed quæro ego: quis Theologorum docet irreligionem esse speciem atomam? Nonne secundum omnes votum, Juramentum, Oratio, Sacrificium &c. sunt cultus specie distincti? Et per consequens, falsum juramentum peccatum specie distinctum à violatione voti? Nemo dubitat, quamvis utrumque sit peccatum irreligionis.

Deinde supponit Arriaga, quod deberet probare, & communiter à Theologis negatur, nimirum vota specificari seu diversificari specie, ex diversitate materiarum; quod mihi tam falsum est, quam omnibus falsum esse debet, furta specificari seu diversificari specie ex diversitate materiarum. Sicut ergo non teneor explicare in Confessione, an aurum, an argentum, an ferrum, an vestes furatus fuerim; sed satisfacio dicendo: *Furatus sui materiam gravem*, secundum unam sententiam; secundum alteram; *Furatus sui materiam tanti pretii*, v. g. *centum florenorum*; pari ratione non teneor explicare in Confessione materiam voti, v. g. jejunium, orationem, &c. sed satisfacio secundum unam sententiam dicendo: *Violavi votum in materia gravi*; secundum alteram deberem explicare materiam, quando notabiliter aggravaret, id est, quando notabiliter res promissa esset gratior Deo, eo modo, quo deberem explicare materiam promissionis humane.

Itaque irreligio est genus secundum omnes Theologos: at verò violatio voti, seu irreligiosa perfidia, secundum plerisque est species atoma, quamvis una perfidia sit gravior altera; veluti injustitia est genus; at verò furtum species atoma, quamvis unum furtum sit gravior altero. Ergo tanta disparitas inter inobedientiam & irreligiosam perfidiam, quanta inter genus & speciem atomam.

Quæris à me; cur non orare, & non dare elemosynam, quando ad utrumque teneor ex voto, sint ejusdem speciei infima; & non quando ad ea obligor ex præcepto? Responso patet ex antecedentibus: quia per votum superadditur ipsis specialis honestas cultus divini, & constituuntur actus religiosi fidelitatis, quæ est species infima: per præceptum autem non superadditur illis actibus, nisi honestas obedientia, quæ est genus generalissimum, ut sic loquar, adeoque minimè extrahuntur à propria ratione virtutis & honestatis specificæ, quam ex sese habent, ne alioquin omnes illi actus sint ejusdem speciei, & per consequens non explicandi in Confessione secundum sententiam, quæ asserit, solam speciem esse explicandam; quod tamen nec Arriaga, nec ullus alius audeat admittere.

Sed contra: potest Deus prohibere actum amoris; & tamen omisso illius actus non esset in specie alicujus virtutis, nisi obedientia. Similiter oratio, si Deus illam prohiberet, nullam haberet malitiam contra naturam rationalem, nisi quam acciperet per mandatum.

Respondeo I. quamvis amor Dei, similiter oratio, ex objecto suo nullam habeant contrarietatem ad naturam rationalem, tamen ex circumstantia possunt habere; v. g. si laxant sanitatem corporalem: & in tali casu potest Deus illos actus prohibere; immo ex natura rei prohibiti sunt.

Respondeo II. Si nulla ex se aut circumstantia foret malitia in actu prohibito, secundo mandato, per consequens nulla bonitas in omissione actus præter bonitatem obedientia;

Respondeo (inquam) me non videre, quare illi actus magis deberent exprimi in Confessione, quam materia voti; & cur non somneret dicere: *Fui inobediens Deo in materia gravi*, nam sic exprimitur species illius peccati, non solum subalterna, sed etiam infima, cum (ut supponitur) sola in eo sit malitia inobedientia: quippe ex solo motivo obedientia ille actus fuit prohibitus. Quod non habet locum, quando Legislator ex motivo temperantia præcipit v. g. jejunium; cum enim jejunium sit materia temperantia, licet non necessaria; nulla omnino ratio est, quare vel Legislator divinus, vel etiam humanus, qui omnem suam potestatem radicaliter habet à Deo, & ea utitur tamquam minister Dei, quare (dico) non possit illam materiam temperantia liberam, reddere necessariam; ita ut transgrediens præceptum non solum peccet contra obedientiam, sed etiam contra temperantiam.

Enimverò lex naturalis non omnia prohibuit vel præcepit in quacumque materia; sed illa solum, quæ manifestam cum natura rationali habent repugnantiam; non tamen propter eam potestatem abstulit hominibus, quæ possent constituere aliquam materiam necessariam

Vota non diversificantur specie ex diversitate materiarum.

Violatio voti est species atoma.



huius vel istius virtutis, quæ ex jure naturali talis non erat. Et verò si quilibet privatus per votum potest facere materiam necessariam Religionis, etiam illum actum, qui ex se non est materia Religionis; cur Legislator non poterit facere materiam necessariam temperantiæ illum actum, qui alioquin ex se est materia temperantiæ? Cur autem unusquisque hoc non possit, ratio est; quia potestas præceptiva non competit nisi Superiori; hæc autem est necessaria, ut locum habeat obedientia, sine qua materia temperantiæ ex se libera, manet libera.

Dices: potest fieri necessaria per votum. Respondeo: necessaria materia voti, concedo; necessaria materia temperantiæ, nego. Ratio disparitatis est; quia votum intrinsecè & per se non respicit v. g. jejunium, quatenus est materia temperantiæ, sed quatenus est cultus aliquis divinus, seu materia apta cultui divino: ad rationem autem cultus divini per accidens planè est, quòd sit materia temperantiæ, vel iustitiæ, vel alterius virtutis. Quid ergo mirum, si votum constituat jejunium materiam necessariam Religionis, & non temperantiæ?

At verò præceptum jejunii pro motivo suo intrinsecò & per se habet honestatem temperantiæ: ideo enim Legislator præcipit jejunium, & non orationem, quia vult subditos suos temperatè vivere, ad quem finem ex se ordinatur jejunium, & non oratio; & ideo non potest præcipere orationem ad istum finem, tametsi velit, sed debet necessariò præcipere actum temperantiæ.

Hinc fieri potest, ut lex jejunii hodie me obliget, secùs die crastinà; quia hodie jejunium est materia temperantiæ, secùs die crastinà: quia hodie ad vitæ atque officiorum necessitatem satis est semel comedere; crastinà autem die minimè sufficit, sed requiritur duplex refectio.

Dices: certum est, materiam, quæ reperitur in haustu vini moderato seu temperato ad extinguendam sitim contra legem Superioris, longè esse diversam ab illa malitia, quæ reperitur in haustu vini, qui ebrietatem causat: nam malitia & turpido ebrietatis consistit in eo, quòd privet usum rationis, quæ privatio non reperitur in alio haustu. Itemque malitia fornicationis, ex periculo prolis desumpta, non reperitur in accessu ad suam, licèt ob votum vel præceptum illicito.

Confirmatur: Si lex aliqua prohiberet sub mortali in Religiosa domo, ne quis per fenestram ad plateas prospiceret ex motivo servandæ castitatis; aut ne quis cellam alterius ingrederetur, ne ad bibendum & se inebriandum simul convenirent; quis (quæso) diceret eum Religiosum peccasse contra castitatem, qui aspexerit per fenestram, quando certò

sciebat, neminem se visurum in platea? Aut illum, qui intravit cubiculum alterius, quando neminem intus esse noverat, peccasse contra sobrietatem? Et tamen hic peccavit contra legem, quæ habuit pro motivo honestatem sobrietatis; ille verò contra legem, cujus motivum erat observatio castitatis.

Respondeo ad primum, Primò: haustu vini ad extinguendam sitim contra legem Superioris, perperam dicitur moderatus seu temperatus: nam moderatio in potu importat omnes circumstantias requisitas ad actum virtutis temperantiæ, inter quas una est, illum haustum non esse prohibitum ex motivo temperantiæ: licèt enim abstinentia ab illo haustu secundùm se non sit necessaria ad temperatè vivendum; æquidem potest esse necessaria ex præcepto, cum possit esse actus temperantiæ; nisi dixeris, nunquam exerceri posse actum temperantiæ, nisi quando faciendo contrarium, committeretur actus intemperantiæ, quod clarè constat esse falsum. Etenim qui jejunat absque præcepto sui Superioris, dicitur ab omnibus vivere temperanter, quamvis comedendo non ageret intemperanter.

Respondeo II. Non omnem malitiam oppositam temperantiæ, consistere in privatione usus rationis; id est, plura peccata opponi temperantiæ, quàm ebrietatem. Similiter non omne peccatum contra castitatem, esse fornicationem; neque omnem fornicationem præcisè malam esse propter periculum prolis, seu malæ educationis prolis: quia fieri potest, ut nullum sit periculum prolis, propter notam sterilitatem; immò fieri potest, quòd meliùs provideatur de educatione proli fornicariæ, quàm legitimæ: non tamen ideo desinit fornicatio esse contra castitatem. Ergo licèt in accessu illo ad suam, illicito ex præcepto, non sit periculum prolis, aut malæ educationis prolis; per hoc non impeditur, quin possit esse contra castitatem.

Consimiliter, qui bibit usque ad vomitum, secluso omni periculo privationis usus rationis, peccat nihilominùs contra temperantiæ; immò etiam secluso periculo vomitus, & aliorum inconvenientium, in quibus consistit turpido ebrietatis, potest aliquis intemperanter bibere; ut colligitur ex regula temperantiæ, quæ est bona corporis valetudo, & idonea dispositio mentis ad suas functiones. Quàm facilè autem lædatur bona corporis valetudo, & mens indisponatur, quamvis non notabiliter (& ideo non semper erit peccatum mortale) experientia omnibus testatur.

Cùm ergo abstinentia à potu, etiam necessario ad sitim extinguendam, possit subinde deservire ad meliorem dispositionem mentis, quamvis, si sumeretur, non læderet dispositionem illam; hinc fit, ut Superior, possit illam abstinentiam præcipere ex motivo temperantiæ.

Q q q q peran-

186. Responso ad objectio- nem.

Alia res. Pontio.

187.

187. Potest alia quis intem- peranter bibe- re sine privatione usus ratio- nis.

187. Cùm ergo abstinentia à potu, etiam necessario ad sitim extinguendam, possit subinde deservire ad meliorem dispositionem mentis, quamvis, si sumeretur, non læderet dispositionem illam; hinc fit, ut Superior, possit illam abstinentiam præcipere ex motivo temperantiæ.

non dare  
recedor  
& non  
Religio-  
m super-  
divini, &  
is, que  
tem non  
tas obe-  
n, ut sic  
ur à pro-  
pessificæ,  
mnes illi  
nsequens  
dum sen-  
se expli-  
nec ullus  
re actum  
non esset  
obedi-  
cientiæ,  
obiberet,  
uram ra-  
datum.  
similitè  
eant con-  
tamen ex  
si lædant  
suf potest  
ex natura  
circum-  
secluso  
onitas in  
edientia;  
re, quare  
Confes-  
non suffi-  
ria gravi;  
cati, non  
cùm (ut  
edientia;  
ille actus  
um, quan-  
præcipit  
fit mate-  
a; nulla  
divinus,  
no potest  
itur tam-  
non possit  
reddere  
receptum  
iam, sed  
ia prohibi-  
ria; sed  
ura ratio-  
propter  
nà possent  
cessariam  
huius



perantiæ: quia revera est materia temperantiæ, quamvis per se ex jure naturæ minimè necessaria. Quemadmodum virginitas est materia castitatis, licet ex jure naturæ non necessaria; si tamen Deus eam præciperet ex motivo castitatis, quis dubitat, quin transgrediens illud præceptum, peccaret contra castitatem?

188.  
Respondetur ad confirmationem.

Ex quo respondeo ad confirmationem: vel non prospectus per fenestram, & non ingressus in cellam alterius, conducunt, saltem remore, ad meliùs observandam castitatem, & sobrietatem, vel non. Si non, cum non sint materia castitatis, & sobrietatis, non possunt ex motivo istarum virtutum præcipi; quia Superior non potest pro libitu suo quilibet ex motivo cujlibet virtutis præcipere, v. g. orare ex motivo temperantiæ. Sin autem vel remore saltem conducant ad meliùs observandam castitatem, & sobrietatem; nescio, quare prospectus & ingressus, etiam quando hic & nunc non est periculum proximum peccandi contra castitatem, & sobrietatem, jure naturali obligantem, quare (inquam) accedente præcepto Superioris ex motivo illarum virtutum, non sint peccata contra castitatem, & sobrietatem: quæ licet non obligent, tamen inclinant ad perfectissimam observantiam; & per consequens ad fugiendum quodcumque vel minimum periculum peccati oppositi. Jam autem licet hic & nunc cesset periculum proximum; equidem ordinariè adest timor aliquis generalis, & opinio periculi, planè sufficiens ad obligandum, etiam in illo casu, in quo certò conitat non futurum peccatum.

189.  
Ecclesiæ potest imperare temperantiæ; nec dicitur abstinens, qui non servaret præceptum.

Arriaga suprà n. 44. tandem aliquando, post multas alterationes, admittrit, Ecclesiæ posse imperare temperantiæ; & non posse dici absolute abstinentem, qui non jejunaret ullà die Quadragesimæ; sed semper comederet carnes, estò servaret illam temperantiæ, ad quam extra Quadragesimam obligatur. Probat: quia abstinentia est duplex virtus. Una, quæ dicitur temperantia naturalis, estque sub præcepto naturali: alia verò, quæ est sub consilio, & quæ potest ab Ecclesiâ imperari. Ibidem docet, eandem esse difficultatem in eo, qui vovisset jejunium, & tamen semper comederet carnes.

An sit duplex virtus abstinentiæ?

Ego autem (salvo meliori) judicio, eum, qui vovisset jejunium, debere dici perfidum & infidelem Deo, posse tamen absolute dici abstinentem. Quantum ad primum, fateor, abstinentiam, quam Ecclesiâ præcipit in jejunio, non esse eam, quam natura præcipit, quod solum videtur velle Arriaga.

Sed quid hoc ad propositum? Nemo enim asserit, eum, qui frangit jejunium ab Ecclesiâ præceptum ex motivo temperantiæ, id est, ideo præceptum, quia meliùs disponit ad functionem mentis & corporis, peccare contra temperantiæ debitam ex jure naturali: nam

omnes supponunt, quòd, seculo præcepto Ecclesiæ, temperatè comedat; sed communis sententia docet, talem non solum peccare contra obedientiam, sed etiam contra virtutem temperantiæ: eadem sit, five distincta, im refert, dummodò sit vera virtus temperantiæ, quæ debeat explicari in Confessione.

Itaque (ut redeamus ad primum propositum, à quo paululum defleximus) dico cum communiore sententia, eum, qui habens votum castitatis fornicatus est, & confessus est fornicationem, sed ex oblivione vel propter aliam justam causam omisit circumstantiam voti violati, satisfacere si explicet in Confessione sequenti circumstantiam omissam, non explicato iterum peccato, quod jam est confessus, dicendo: *Violavi votum in re gravi.*

Sed numquid eadem resolutio de eo, qui oblitus fuit circumstantiæ sacrilegii, quæ reperitur in furto rei sacræ? Nunquid satisfaciet, dicendo in secunda Confessione: *Commisi grave sacrilegium?* Communis sententia negat, idque quia hæc verba non declarant speciem illius circumstantiæ, etiam intrâ sacrilegii conceptum: aliud enim sacrilegium est occidere Sacerdotem, aliud rem sacrâ furari. Similiter violentia esse potest circumstantia peccati: at diversa specie violentia est, quæ aufertur vita, & quæ aufertur honor vel fama; sicut diversum jus est, quod quis habet in vitam, ab eò quod habet in honorem & famam &c. Unde sicut non sufficit dicere: *Lesi graviter proximum meum;* sed oportet dicere, in qua specie: ita non sufficit pro explicatione illius circumstantiæ; dicere: *Intuli violentiam gravem proximo;* sed debet dici, in qua materia, Hæc ergo erunt exempla secundæ partis Conclusionis.

Sed contra opponit Arriaga hic disp. 35. n. 42. Sacrilegii circumstantia reduci videtur ad speciem irreligionis, sicut transgressio voti; nec videtur magis minùve in suo conceptu diversificari per materiæ diversitatem, quàm transgressio voti. Pone judicem, qui habeat jus occidendi aliquem, & illum curat occidi in templo; hæc occisio non habet nisi puram malitiam sacrilegii; sicut transgressio voti in re alioquin licita, gravi tamen. Ergo sicut, quia poterat esse voti transgressio sine fornicatione, & è contrario fornicatio sine transgressione voti, suprà inferebamus, eam circumstantiam voti esse quasi disparatam cum ea materia, & posse explicari unam malitiam sine altera in ea fornicatione; profectò cum idem contingat in ea occisione hominis in templo; debemus dicere, eam rationem sacrilegii esse disparatam. Idem possumus concipere in occisione Sacerdotis: nam si judex habeat jus occidendi Sacerdotem, reum gravis criminis & adjudicatum morti, non possit tamen illum occide-

occideret ante deum non esse. Quòd specificè etiam la non datur vovisti. Unde factum tunc spectantiam quàm in rione dicitur ulque A. Uerò recedam deo, iram factam homo e commisit occidi, si diu gau bet ut non fendere et invalor jurie; & justum, Quin Ecclesiâ à Grego & ideo manet in nobis o stitutiõ veneratione res; presc scando ergo dat adeoque cerent e Nonne injustum quia uti reum in erit fact Con cerdoti reur; occider quin p Quapro etiam Ergo sacrile Ne crilegi tem q essentia lem se suam



occidere, antequam degradetur; certe si eum ante degradationem occideret, esset sacrilegus, non esset homicida.

Quod verò dicebatur; illud sacrilegium ex specifica materia accipere gravitatem, habet etiam locum in voto: nam longè aliud est non dare Deo unum simplex jejunium, quod vovisti, quàm ei non dare decem millia, quæ vovisti in Dei honorem dare pauperibus. Unde satis mihi est probabile, non esse etiam tunc specialem obligationem declarandi substantiam illam peccati in sacrilegio magis; quàm in voto: & idem potest cum proportione dici de violentia, & de injuria. Huc- ulque Arriaga.

Verùm hæ rationes mihi non sufficiunt, ut recedam à communi sententia. Unde respon- deo, in exemplis allegatis non separari mali- tiam sacrilegii ab injuria. Quod probo: quia homo existens in Ecclesia, quamvis aliquin commiserit crimen, propter quod justè posset occidi, si esset extra Ecclesiam, eundem quam- diu gaudet immunitate Ecclesiasticâ, jus ha- bet ut non occidatur: unde seipsum posset de- fendere etiam cum occasione infautoris. Ergo infautor non facit actum jurisdictionis, sed in- jurie; quia non potest dari bellum utriusque justum, seclusâ ignorantia.

Quinimodò etiâ non gauderet immunitate Ecclesiasticâ, quia commisit crimen exceptum à Gregorio XIV. Bullâ: *Cum aliis nonnullis*; & ideo justè posset extrahi; tamen quamdiu manet in Ecclesia, jus habet ratione Ecclesie, ne ibi occidatur, sicut habebat ante illam Con- stitutionem. Nam expressè ibi dicitur: *Tuncq; reverentia Ecclesiastica & locis sacris debita memo- res, prædulos delinquentes minori quo id fieri poterit scandalo & tumultu extrahere curent.* Licentiam ergo dat Gregorius extrahendi, non occidendi: adeoque occidendo faciunt injuriam, sicut fa- cerent extrahendo, seclusâ illâ Constitutione. Nonne sacrilegus est, qui in Ecclesia occidit injustum infaforem? Minimè. Et cur hoc, nisi quia utitur jure suo? Ergo si judex occidendo reum in templo utitur jure suo, nec illa occisio erit sacrilega.

Consimiliter dico; fieri veram injuriam Sa- cerdoti illi, qui ante degradationem occide- retur, cum judex secularis nullum habeat jus occidendi ante degradationem, quamvis alio- quin post degradationem possit justè occidi. Quapropter & hic justè posset se defendere, etiam cum occasione judicis ipsum invadentis. Ergo in his exemplis non separatur malitia sacrilegii à malitia injuriæ.

Neque sententia communis dicit, illud sa- crilegium ex specifica materia accipere gravita- tem qualemcumque sive accidentalem, sive essentialem; sed accipere gravitatem essentialem seu specificam, sicut ipsum furtum accipit suam gravitatem specificam ex jure illo, quod

læditur; id est, jure, quod quispiam habet ad bona externa: hoc autem non habet locum in voto, cum per violationem voti non nisi uni- cum jus Dei lædatur; scilicet jus, quod habet ad cultum sibi promissum, qui major vel mi- nor sit, solum aggravat aut minuit intrâ ean- dem speciem. At verò occisio Sacerdotis sa- crilegium est, specie distinctum à furto rei sacre, sicut jus, quod læditur per occisionem, distinctum est à jure, quod læditur per furtum.

Ergo, qui confitetur se commississe grave sacri- legium, non confitetur magis sacrilegium commissum per occisionem Sacerdotis, quàm per furtum rei sacre: ergo non declarat peccatum suum in specie, sicut tenetur jure divino (juxta doctrinam Concilii Trident. sess. 14. c. 5.) sed potius in genere. Et idem potest & debet cum proportione dici de vio- lentiâ, & injuriâ.

Nemo itaque dubitat, quin dentur sacri- legia specie distincta, v. g. furtum rei sacre, occisio Sacerdotis, violatio voti &c. juxta di- versitatem materiarum & modum, quibus res sacre indignè tractantur. Porrò violationem voti esse speciem infimam, communior & ve- rior est sententia Theologorum, sicut furtum sacrilegum est species infima; & similiter oc- cisio sacrilega: quia omnes violationes voto- rum, & omnia furtâ sacrilega, & omnes oc- cisiones sacrilegæ eodem modo respectivè privant eadem honestate, & eodem jure. Violationes quidem votorum non tribuendo honorem debitum Deo; furtâ verò auferendo bona externa Deo consecrata; & occisio- nes auferendo vitam eorum, qui specialiter cultui ac servitio divino sunt dedicati.

Sicut ergo fornicator, qui omisit circum- stantiam voti, non satisfecerit præcepto di- vino Confessionis, dicendo in secunda Con- fessione: *Commissi grave sacrilegium*; sed de- beret explicare violationem voti; parifor- miter non satisfecerit fur aut homicida, qui omisit circumstantiam rei sacre, aut perso- næ sacre, dicendo in secunda Confessione: *Commissi sacrilegium grave*; sed deberet ex- plicare furtum sacrilegum, aut homicidium sacrilegum, estò in priori Confessione furtum aut homicidium declarasset.

De cetero firmissimè tene, & nullatenus dubites, multis ex causis, licitum esse peccata aliqua hic & nunc non exprimere in Confes- sione, tamen si diligenter cogitanti occurrant. Pro quibus causis instituitur

194.

Dantur sa- crilegia spe- cie disti-

193.

Neque sen- tentia commu- nis dicit, illud sa- crilegium ex spe- cifica materia accipere gravita- tem qualemcum- que sive accidentalem, sive essentialem; sed accipere gravitatem essentialem seu specificam, sicut ipsum furtum accipit suam gravitatem specificam ex jure illo, quod

